



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 31. Lucæ Gaurici fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI. feudorum consuetudines, nec minus
 A.C. 1559. existant etiam quædam illius epistolæ
 præter alios tractatus.

§. XXXI.

Luce Gaurici fatum.

*Thuan. &
 Mir. l. c.
 Vossius de
 Mathem.*

Eodem anno Lucas Gauricus Civita-
 tensis Episcopus anno ætatis suæ
 octogesimo secundo fati functus est. Is
 Mathematicis disciplinis, ac præprimis
 illa hujus scientiæ parte erat insignis,
 quæ ex astrorum situ de vita, & homi-
 num fortuna decernit, unde ob sua me-
 rita a Julio II. Leone X. Clemente VII.
 & præcipue a Paulo III. maximi habi-
 tus non raro ejusdem summi Pontificis
 conviva erat, ac denique ad Episcopa-
 tus honorem evehctus fuit. Natus erat
 Geophani, Neapolitani regni urbe non-
 nisi duabus leucis Salerno distita, plu-
 raque non sine magna omnium admi-
 ratione prædicebat: attamen ejus vati-
 ciniis, si forte prædicta ab eo reipsa
 evenerant, nonnisi ad fortuitum casum
 colluisse vel maxime ex eo manifesta-
 batur, quod de Henrici II. Galliarum
 Regis fato judicium ex genethliaco
 ejus stemate, seu horoscopo sumens tur-
 piter hallucinatus fuerit. Obiit Gau-
 ricus Ferrariæ die sexta Maij Anno a
 Christi Nativitate millesimo quingen-
 tesimo quinquagesimo nono, ac posteris reli-

reliquit novum Calendarium Ecclesiasticum, necnon descriptionem miræ Eclipsis in Christi Passione observatæ præter alia opuscula. Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

§. XXXII.

Aliorum Illustrium Virorum obitus.

Pridie ante Pauli IV. Pontificis obitum pariter Laurentius Priulus, seu Priolus, qui ab Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto Venetorum Rempublicam moderabatur, mortuus est, illique Hieronymus ejus frater subrogatus fuit, ex quo etiam genere oriebatur Ludovicus Priulus intimi Cardinalis Poli amicus, qui ab ejus consortio nunquam se divelli patiebatur, ut supra memoravimus. Die quarta Octobris itidem fatis cedebat Hercules Estensis Ferrariæ, Mutinæ, & Regii Dux annos natus quinquaginta, & unum, qui præfuit sedente Paulo IV. Ecclesiasticis copiis, simulque secundum a Rege imperium habebat in Henrici II. exercitu adversus Hispaniæ Regem conscripto: verum is Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo cum eodem Philippo Rege pacem sibi fat proficuum inibat. Hic uxorem ducebat Anno supra millesimum quingentesimo vigesimo septimo die trigesima Julii Renatam de